

persona singularis, et sic commisit peccatum personale physice unicum, quod ipsi remissum est: et ut caput morale, et sic commisit peccatum originale, moraliter multiplex et totuplex, quot erunt homines ab eo naturaliter descendentes; hoc ipsi condonatum non fuit.

Inst. 2. Hæc forma etiam in homine malo observari debuit, quæ servatur in diabolo: sed diabolus non damnatur, nisi ex vitii propriæ voluntatis; ergo nec homo.

R. N. M. Quoad jus aut debitum respondeo cum Apostolo ad Rom. 9. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?* Ad ipsum factum *R. Disparitas* est: Non ex uno angelici generis capite quod peccaverit, nati sunt angeli; sed singuli a Deo creati sunt boni et cum amore casto, quo illi adhærent; unde alieno peccato infecti non sunt editi. Sed Deus, ut dicitur Act. 17. *fecit ex uno omne genus hominum*, qui Dei decreto caput humani generis constitutus omnium nostrum voluntates suæ inclusas accepit.

Inst. 3. Licet Eccli. 25. dicatur: *A muliere initium factum est peccati: et per illam omnes morimur*; tamen ab ea non trahitur peccatum; ergo nec ex Adamo.

R. Disparitas est. Quia solus Adam constitutus est caput, et representavit genus humanum in ordine ad præceptum de fructu non comedendo, quod jam ante formationem Evæ a Deo impositum erat; unde vel solo Adamo peccante aut non peccante fuisset aut non fuisset peccatum originale. Dicitur tamen Eva esse illa, a qua initium peccati factum, et per quam moriuntur omnes; tum quia fuit causa impulsiva peccati Adami, in quo omnes peccavimus: tum quia ex generatione Adami per Evam nascuntur posterii omnes.

Inst. 4. Justitia non prodest, nisi credentibus; ergo nec peccatum Adæ nocet, nisi consentientibus aut peccatum imitantibus; cum Rom. 5. instituat inter Christum et Adamum comparatio.

R. D. A. Non prodest, nisi vel propria vel aliena voluntate credentibus *C.* plane nemini prodest, nisi qui propria voluntate credit *N.* Audire hic juvat *S. AUGUSTINUM L. 3. de pecc. merit. c. 2. n. 2.* respondentem: *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt: sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt.* Porro, in quonam comparatio Christum inter et Adamum stet, dictum est num. 73.

84. *Obj. II.* Dogma de peccato originali conducit ad *Manichæismum*; quia facit Deum malum et auctorem peccati, ut probatur: Quidquid convenit rei ab ipsa origine, hoc tribuitur producenti: atqui animæ conveniret peccatum ab origine; ergo.

R. N. Ass. et rationem. Ad prob. *D. M.* Quidquid physicum convenit rei ab ipsa origine, tribuitur producenti *C.* quidquid morale *subd.* si hoc morale ipsi conveniat præcise vi productionis *C.* si non vi hujus, sed ratione alterius presuppositi *N.* Originale est quid pure morale: non inficit animam, quia creatur et corpori infunditur; alioquin etiam anima Christi fuisset ei obnoxia: sed quia, et quamprimum unitur corpori generatione naturali pro-

ducto, cum quo constituit hominem ex Adamo naturaliter descendente; ubi tamen $\tau\delta$ quia conditionem, non causam denotat.

Inst. 1. Si Deus crearet angelum in primo instanti peccantem seu infectum peccato actuali, esset causa peccati actualis; ergo etiam cum creat hominem in primo instanti infectum peccato originali, erit causa peccati originalis.

R. N. A. Quia peccatum in hoc casu ex determinatione voluntatis angelicæ et per accidens, non vero ex determinatione Dei et natura creationis sequeretur.

Inst. 2. Anima in priori signo naturæ ad unionem substantialem cum corpore humano vel creatur a Deo *nocens* vel *innocens*: Si *primum*; ergo Deus revera causat peccatum: Si *secundum*; ergo anima in eodem instanti reali erit nocens simul et innocens.

R. In illo signo priori anima nec est positive nocens nec innocens, sed præcisive se habet. Non *positive nocens*; quia in illo signo necdum concipitur unita cum corpore et constituens hominem ex Adam generatum: non *positive innocens*; quia de statu innocentie non transit ad statum peccati, ut simili errore quodam fabulabatur ORIGENES: sed præcisive se habet; quia in hoc signo solum entitas animæ concipi debet. Non vero implicat, animam in reali instanti esse solum innocentem *præcisive*, seu secundum nostram considerationem, et nocentem realiter.

Inst. 3. Ex eodem dogmate sequitur, nuptias et matrimonii usum esse illicitum, qui fuit error Marcionitarum, Eneatitarum et Manichæorum. *Prob.* Quia matrimonii usus esset inductivus peccati originalis: sed actus inductivus peccati est illicitus; ergo.

R. Objectionem hanc refutavit *S. AUGUST.* duobus libris, quos inscripsit de *Nuptiis et Concupiscentia*, aliisque in operibus suis passim, ex quibus hæc breviter habe: Usus conjugii esse causam generandæ proles, non autem peccati prolem inficientis; quia in statu innocentie, si Adam non peccasset, futura erant *nuptiæ et usus conjugii, et generatio proles*, quin tamen aliquid eorum causa peccati in prole genita fuisset. Unde solam prævaricationem Adæ tanquam causam corruptionis propagatæ accusat.

Quare *N. Ass. ad prob. D. M.* Usus matrimonii esset per se et per modum causæ inductivus peccati *N.* per accidens et per modum conditionis tantum sine qua non *subd.* esset inductivus peccati prius jam in Adamo commissi *C.* de novo committendi *N.* Usus matrimonii est solum *conditio*, qua posita, et supposito prius peccato in Ada commisso, illud contrahitur ad suppositum proprium proles generatæ: voluntas autem Adami tum nomine proprio tum posterorum nomine peccantis est *causa physica* peccati originalis; et voluntates posterorum, ut moraliter in voluntatem Adami transfusæ, sunt illius peccati causa moralis.

Inst. 4. Qui ponit actionem, ex qua prævidet alterius grave malum etiam per accidens esse secuturum, peccat. Sed parentes prævident ex usu conjugii, quamvis etiam *per accidens*, secuturum esse originale, grande proles malum; ergo.

R. D. M. Peccat, si prohibita sit actio, ne sequatur alterius malum, aut si quis non habeat jus ad illam actionem, vel si habito etiam jure intendat malum per accidens connexum *C.* si hæc non adsint *N.* Nuptias non esse

prohibitæ ostendit illa Dei benedictio : *Crescite et multiplicamini*; et Christi declaratio confirmatoria : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Jus ad usum conjugii et prolis generationem legitimis conjugibus asserit PAULI monitum 1. ad Cor. 7. : *Uxori vir debitum reddat*. Et : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Intentio porro præpostera non vitio nuptiarum, sed conjugum, si quæ adsit, adscribenda est. Hac autem absente, et illis præsuppositis, homo utens conjugio æque parum peccat, ac Deus statuens leges, superior subdito mandatum ferens, ac creditor exigens debitum; licet ille leges violandas, iste subditi contumaciam, hic debitoris indignationem prævideat.

Inst. 5. Melius est proli non existere, quam existere et concipi in peccato originali; hinc enim in simili Christus Matth. 26. de Juda peccati proditoris reo dicit : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; ergo usus matrimonii est contra charitatem proli debitam, et sic illicitus.

R. T. A. N. Cons. Cujus falsitas patet ex allatis modo exemplis. Præterea communis est *Theologorum*, hominem ex charitate non teneri ad abstinendum ab actione utili aut necessaria, ad quam jus habet, licet per accidens et indirecte sequatur damnum aliquod proximi. Cum igitur *usus matrimonii* necessarius sit ad generis humani propagationem, et ad illum etiam conjuges jus manifestum habeant, illum exercendo contra charitatem prolis non peccant. Ex quo liquet *disparitas* inter matrimonii usum et illud, de quo loquitur Apostolus 1. ad Cor. 8. : *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Præterquam quod hoc Apostoli propositum universaliter obligatorium non sit, et ad scandalum infirmorum duntaxat pertineat.

Dixi : *Transeat Ant.* Quia licet *secundum quid* sit melius proli non existere, quam existere in peccato originali, si hæc existentia præcise secundum concretum peccati spectetur; melius tamen est proli etiam sic existere, quam non existere plane, si consideretur, quod infans per baptismum ab originali facile liberari et ad æternam felicitatem pervenire possit. Unde *disparitas* etiam *rationem* inter hoc et *Judæ* peccatum notabis; siquidem, cum istud impoenitentiam finalem et damnationem connotaverit, non erat amplius ad Dei amicitiam et beatitudinem ordinabile.

QUÆRES : *Quid de Zosimi Pontificis œconomia in causa Pelagii et Celestii sit sentiendum?*

85. *Nota.* Cum audivisset *Pelagius*, quod INNOCENTIUS S. P. ex Africanarum Synodorum relationibus ac epistola, duos palmares Pelagianorum errores de gratia et baptismo infantium propter originale peccatum una cum eorum Auctoribus et Sectatoribus sub anni 417. initium damnasset; scripsit ad eundem Pontificem epistolam, qua *Erotem* et *Lazarum*, suæ hæreseos delatores, calumniæ, Africanas Synodos præcipitis judicii accusabat : addidit fidei suæ libellum, quem symbolum inscripsit, cui præter subdolas sui sensus explicationes ad fucum faciendum hæc inseruit : *in qua, fidei profes-*

sione, *si minus perite et parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes.*

Hæc antequam cum *Praylii* Hierosol. Antistitis litteris commendatitiis Romam perferrentur, Innocentius e vivis decessit, nactus successorem ZOSIMUM. Ad hunc *Celestius* Constantinopoli ejectus festinavit, et similia de *Erote* ac *Lazaro* et Africanis Episcopis conquestus obtulit fidei libellum, in quo quidem originale peccatum negabat, sed ad hæreseos invidiam declinandam profitebatur se paratum ad errorem, si quis esset, emendandum. *Si forte*, inquiebat, *ut hominibus quispiam ignorantia error obreperit, vestra sententia corrigatur*: interrogatus præterea contestabatur, se INNOCENTIIS decretis adhærere.

His e *Celestio* intellectis et postmodum etiam *Pelagii* scriptis acceptis, ZOSIMUS suspicatus vera narrari et sincere agi, dedit binas distinctis vicibus litteras duriores ad Africanos, quibus *Pelagii* et *Celestii* fidem commendabat : hos tamen nec ab hæreseos nota absolvit, nec communioni restituit, judicium differens, dum plene de totius causæ statu ab Africanis certior fieret. Ab iisdem ex gestis Conciliorum, litteris prolixis, et *Marellini* subdiaconi transmissi narratione plenissime edoctus Pontifex *Celestium* ad judicium vocat. Sed cum ille fugeret et se examini negaret, a ZOSIMO damnatus est ipse et *Pelagius*. Constant hæc ex *MARIO MERCATORE* in *Commonitorio* c. 1., *S. AUGUSTINO* L. 2. ad *Bonifacium* et L. de *Pecc. originali*, ac *FACUNDO HERMIANENSI* L. 7.

Tria porro capita sunt, in quæ circa hoc factum inquiritur : 1º. An ZOSIMUS errore facti erraverit, *Pelagium* et *Celestium* innocentes existimando? Ad quam quæstionem unanims omnium responsio est *affirmativa*; quæ sicut veritati historiæ est conformis, sic nulli etiam reprehensioni est obnoxia; cum nemo statuat, Romanum Pontificem aut Concilium in judicio de personis tantum et sensu eorum interno aut de quæstionibus meri facti decipi non posse. 2º. An ZOSIMUS hæresin *Pelagii* et *Celestii* approbaverit? 3º. An idem saltem nimia indulgentia post damnationem Innocentii, *Celestio* audientiam indulgendo et *Pelagii* litteras suscipiendo erraverit? Ad has postremas quæstiones a quibusdam male assertas

86. R. I. ZOSIMUS Pelagii et Celestii errores nunquam approbavit.

Prob. Ex ipsis actis; quæ testantur ZOSIMEM existimasse Catholicam Pelagii et Celestii esse mentem, eo quod uterque in libello suæ fidei suam sententiam Sedis Apostolicæ judicio subjecerit, et postremus etiam decretis INNOCENTII errores Pelagianorum damnantibus se assentiri professus sit : item eundem non dedisse communionem nec relaxationem a damnatione : denique iterasse damnationem eorum, ubi de Pelagii et Celestii mente apertius constitit; ergo nec ante nec post approbavit, aut approbasse intelligi potest illorum errorem.

Conf. Ex judicio cœvorum de hoc facto. *S. Aug. L. 2. ad Bonif. c. 3.* ita ait : *Quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci?... Profecto quidquid interea lenius actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissimæ et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio. excitiosissima pravitas.*

MARIUS MERCATOR in Commonit. c. 1. n. 4. de Celestio sic narrat: *Ubi actis (quorum exemplaria habemus) interrogatus, cum ab illo cognitore aliquatenus terretur, crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim et instantius jubebatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti Sacerdotis (Zosimi) humanitate dignus est habitus, et sic epistolam humanitatis plenam ad Africanos Episcopos meruit; ergo cum ZOSIMUS jusserit Celestium condemnare suos errores, et lenius ideo tantum eum habuerit, quia promittebat errorum suorum damnationem; certe nullatenus ipse errores comprobavit. Accedit FACUNDUS Hermian. L. 7. c. 3. Neque, inquit, Palestinos Episcopos, nec Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt; sed potius pro merito suæ fidei Catholicos judicat et honorat, quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum.*

Nec obstat 1^o. Quod ZOSIMUS, ut l. c. scribit Aug., libellum Celestii dixerit Catholicum, licet in eo exprimeretur error negans peccatum originale. Nec 2^o. Quod fidem ipsius Pelagii et Celestii, ut ait FACUNDUS l. c., tanquam veram et Catholicam laudaverit, et culpaverit Africanos Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur.

R. Ad 1^{um}. D. ZOSIMUS dicit libellum Celestii Catholicum quoad maximam sui partem articulos symboli continentem C. secundum omnes propositiones in eo contentas Subd. Dixit Catholicum habita præcise ratione ipsorum dogmatum N. habita ratione mentis et affectus, quem præ se ferebat Celestius C. Item: Exprimebatur in eo error de peccato originali per modum doctrinæ, cui adhæreret Celestius N. per modum dubii, de quo Pontificem consuleret, asserens se velle instrui et emendari, seque adhærere decretis Innocentii C. Distinctionis veritas patet ex laudato supra S. AUGUSTINI loco, ubi inquit: *Cum hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia et hoc Catholicæ mentis est; si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respicere.*

R. Ad 2^{um}. D. Similiter, et in eo errorem facti, non autem juris facile concedo, quemadmodum ex hactenus dictis et ipsius MARI l. c. verbis manifestum est.

87. R. II. ZOSIMUS nimia indulgentia non peccavit.

Prob. Imprimis non peccavit contra justitiæ aut prudentiæ leges; tum quia INNOCENTIUS ita sententiam suam temperavit, ut juberet Pelagio et Celestio, *si unquam ad sanum* (verba sunt INNOCENTII in Rescripto ad Silvanum et cæteros Milevitanae Synodi Patres), *deposito pravi dogmatis errore, resipuerint... eis medicina solita, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negaretur* (Labb. t. 2. p. 1289. B.): tum quia Hæretici illi errorem se deposuisse dicebant, INNOCENTII litteris assensum exterius præbebant, et Praxii testimonio commendabantur.

Deinde non peccavit contra Canones, quibus retractatio causæ fidei in

Synodo judicatæ prohibetur; tum quia Canones illi loquuntur non de Synodo Provinciali vel Nationali, sed de OEcuménica, qualis in causa Pelagianorum ante ZOSIMUM nulla est habita: tum quia ZOSIMUS non retractavit causam fidei et quæstionem ipsam juris, quæ INNOCENTII judicio finita erat, ut ait Aug. L. 2. ad Bonif. c. 3. *Litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii de hac re tota dubitatio sublata est.* Et serm. 2. de verbis Apost. c. 10. (al. serm. 131. c. 10.): *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error!* Quæstionem itaque facti duntaxat expendere diligentius susceperat, an scilicet Pelagius et Celestius hæreseos rei essent: cujus rei et facultas et causa erat, ut ex dictis hactenus et ex eo colligi potest, quod Eros et Lazarus accusatores Pelagii, ille Arelatensium, hic Aqüensium criminationes gravissimas subiissent.

Denique non peccavit contra judicii formam, quæ non sinit habere rationem appellationis, quam quis non est persecutus: ut Celestius fecerat, qui cum in Concilio primo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam appellasset, per plures annos causam suam neglexit; tum quia ZOSIMUS tanquam judex supremus appellationem etiam peremptam potuit in integrum restituere: tum quia etiam sine respectu ad illam appellationem Celestii et Pelagii fidem rursus expendere potuit, ut cognosceret, num communione Ecclesiastica, quam flagitabant, digni forent.

CAPUT II.

DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN CONUPISCENTIA CONSTITUAT PECCATUM ORIGINALI?

88. Nota. Flaccus Illyricus docuit, peccatum originale esse substantiam malam a diabolo productam: Origenes cum plerisque Pelagianis illud explicabat per peccati Adæ imitationem: Baius voluit esse peccatum a parvulo in proprio supposito habitualiter commissum, in propp. 47. 48. 49. Alii dicebant, esse denominationem mere extrinsecam, aut solam obnoxietatem pœnæ, contra aperta verba Apostoli, ARAUS. II. et TRID. Lutherus formaliter illud constituit in concupiscentia: Jansenius materialiter in concupiscentia, sed formaliter in reatu, qui vero habeat rationem peccati proprie dicti. S. ACCURSIUS concupiscentiam pro materiali designat, sed quod, tanquam aliquid specialiter quidem adjunctum, propriam rationem peccati non contineat: Alii statuunt esse privationem justitiæ originalis; alii ipsum Adæ peccatum moraliter nostrum. De singulis pauca, sed vera; fatentes insuper cum S. AUG. L. de mor. Eccl. c. 22. *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*